

CONSILIVM CXC.

De intemperie membrorum naturalium ac obstructione, à materia frigida & crassa, orta, pro Francisco Casali, medico Brixiano excellenti, Anno 1549. Calend. Aprilis.



V V M in propriis negotiis affecti sumus, iudicium quoque proprium afficitur, vt delitescat. Sed ego propter officium fidelis amici huius excellentis Medici non deficio, & quod in eo casu facturus essem, affero. Et primùm hoc pro fundamento apud me constituo, hunc morbum non esse vno impetu aggrediendum, ac depellendum, sed paulatim remouendum. Cùm enim in naturalium membrorum essentia intemperiem esse iudicem, obstructionesque, ac materiae frigidae & crassae collectionem: patet neque quo ad intemperiem, neque quo ad materiam, neque quo ad membrorum affectorum naturam, aliquid esse violenter impetuoseque agendum.

Constitutata igitur optima victus ratione, quae in hac cura primaria esse debet, ad medicationem accedendum. In victus ratione obseruare, vt omnia cibaria essent optimi alimenti, facilis coctionis, sed quantum fieri posset, attenuantia: ideo vinum subtilissimum, mediocris substantiae fit. Praeponerem cibus omnibus vsum anisorum, aut fœniculi, aut cinamomi, ante prandiũ & coenam. Panem optimè fermentatum, cum modico salis & puluere anisorum conficerem: reliqua cibaria nouit sua Excellentia. Et bibat parcè, nam desiderem vt plus humoris per vrinam excerneretur, quam biberet. Somnus sit satis prolixus, meridianus tamen euitetur. Manè satis tempestiue surgat, & moderatè exerceat corpus: sitque quam maximè fieri possit, læto & iucundo animo.

Aluum habeat semper mollè, & pro hac re laudarem maximè frequentem vsum resinæ terebinthinæ, de qua sumat Excellentia sua manè tribus horis ante prandium drachmam vnam aut duas: præter quam enim quod moderatè leniet aluum, etiam ad ventrem roborandum, & obstructiones viscerum aperiendas sine molestia conferet. Et hoc factò deinde purgationem exequeretur.

R. Specierum hieræ simplicis ʒ.ij.

Electuarij lenitiui ʒ.ij.

Cum zuccaro fiat bolus, dandus tribus horis ante prandium. Concoctio:

R. Syrupi de absinthio,

Oxymellis scillitici ana ʒ.ij.

Decoctionis cetrach, id est, asplenij,

Cichoriæ,

Agrimoniæ ana ʒ.iiij.

Chamaedrios,

Misce pro vno syrupo, & sic pro aliis septem. Euacuatio per pharmacum.

R. Confectionis hamech ʒ.iiij.

Oxymellis scyllitici ʒ.ij.

Cum decoctione cetrach & florũ cordialium fiat potio danda in aurora cū custodia. Hic meus esset curandi modus, quem si necessitas exigeret, in Autumno repeterem. In medijs verò tempori-

bus non prætereat rectum vsum sex rerum naturalium. Laudarem vt singulis septimanis bis sumeret rhabarbari in puluerem redacti sesquidrachmam, possetque illud assumere vel cum resina terebinthina, vel cum saccharo rosaceo, vel cū passulis Corinthiis, vt ei placeret magis. Quod si etiam bis in mense sumeret Mithridatici optimi drachmam vel in pillulas redactam, vel in formam boli, admiscendo sacchari rosati ʒ.ij. credo illud fore ad calorem naturalem corroborandum, & ad membra principalia summoperè collaturum. Iis essem nunc contentus: credoque si omnia diligèter exequetur, vt mandantur, quod Excellentia sua sanitatem adipiscetur.

CONSILIVM CXCI.

Pro Abbate S. Iustinae, in imbecillitate omnium membrorum principalium.

SI rectè recolo quæ dicta fuere diligentissimè à clarissimis Doctoribus in casu Reuerendissimi Abbatis, video omnes actiones, quæ sunt in principibus partibus, atque in alijs membris quæ deseruiunt principibus, penè omnes esse summopere affectas. Quantum ad partem primam ad cerebrum, audio quod virtus sensitiva, quæ est imaginatio & sensus communis summopere afficitur: nam sæpe incidit in vertiginem, & quandoque ita insignem, vt suspicio fuerit de epilepsia. Circa motuam perpetuò laborat, & percipit lassitudinem insignem, sic postea deueniamus ad alias actiones. Quantum ad naturales, quæ sunt tum in hepate, tum in ventriculo, video esse penitus affectas. Circa appetitum, appetitus est prostratus, appetit parum, concoquit non benè, nec etiam bene continet, quod apparet ex rugitu illo & flatu: 3. de Causis symptom. dicit Galenus. Vbi percipitur circa concoctionem grauitas & rugitus, signum est, quod ventriculus non continet cibum vt debet. Quartò habet virtutem expultricem ferè ablatam, ita vt nisi irritetur clysteribus, nunquam excernat. Audio etiam, quod virtus sanguificatiua in hepate sit debilissima, ita vt neque sanguinem secundum quod oportet, generet. Cuius rei indicium est manifestissimum, dispositio quæ apparet in facie ad accidens, quæ arguit diminutam sanguificationem. Audio item quod intumescant hæmorrhoides vt emittant sanguinem: quandoque etiam guttulas per nares emittit. Ista proculdubio non sunt pars naturalis sanguinis in hoc corpore, quæ peccet qualitate. Sed propterea quod non sanguis generatur in hepate vt debet. Ita videmus omnes virtutes affectas naturales, & animales. Virtus autem vitalis, quæ est in fonte vitæ, videlicet in corde, & ipsa laborat: audiui enim quod patitur frequentissimè (de quibus ferè principaliter conueritur) magnos tremores cordis. Fit autem propriè tremor seu palpitatio, siue motus aliquis præter naturam. nam de nominibus non est illis facienda, affecto corde atque virtute eius. Cùm ita se habeant, est necessarium vt sint aliquæ agitudines, quæ impediunt actiones. Si enim verum est